



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 60. Vtrum præceptum, prohibitio, consilium, & permissio consistant formaliter in actu voluntatis, vel in actu intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

rum, quæstione sequenti debemus examinare, utrum prohibitio, præceptum, consilium, & alia huiusmodi consistant in aliquo actu intellectus, vel voluntatis, & in quo actu consistant?

QVÆSTIO LX.

Virum Præceptum, prohibitio, consilium, & permissio consistant formaliter in actu voluntatis, vel in actu intellectus?

S. Thom. q. 19. art. 11. & 12.

1. **V**identur ex quinque signis, quæ ponuntur circa diuinam voluntatem, præceptum, prohibitio, consilium, & permissio, non consistere formaliter in actu intellectus, sed in actu voluntatis: primo quia omnes quatuor actus enumerati sunt actus legis; sed lex est actus voluntatis, non intellectus; ergo. Probatur minor: nam lex debet esse actus illius potentie, quæ ita est domina, & princeps, ut habeat vim efficaciter mouendi, & determinandi cæteras potentias; sed talis potentia est voluntas, non intellectus; ergo.

2. Secundo præceptum est actus, quo præcipiens dicit *fac hoc*; prohibitio est actus, quo prohibens dicit *ne facias hoc*; sed actus, quo dicimus *fac hoc*, *ne facias hoc*, habet pro motiuo non veritatem, aut falsitatem, sed bonitatem, aut malitiam rei præceptæ, vel prohibitæ, ac proinde non est actus intellectus, sed voluntatis; ergo.

3. Tercio in intellectu non debent poni alij modi tendendi, quam quibus dicatur de obiecto *est*, *non est*; in voluntate non debent poni alij modi tendendi, quam quibus dicatur *volo*, *nolo*; sed per præceptum, quo dicimus, *fac hoc* intellectus non dicit de obiecto, *est*, per prohibitionem, qua dicimus, *ne facias hoc*, non dicit *non est*; ergo &c.

4. Quarto ex Aristotele 1. Periher. cap. 1. & 3. de Anima, textu 21. quem sequuntur omnes: omnis actus intellectus, vel est simplex apprehensio, vel compositio, & diuisio, vel discursus; sed præceptum, prohibitio &c. neque consistunt in simplici apprehensione, neque in compositione, & diuisione, neque in discursu; ergo &c.

5. Respondeo, quod quia S. Thomas hac quæst. 19. art. 12. circa voluntatem diuinam, ponit quinque signa, nimirum prohibitionem, præceptum, consilium, permissionem, & operationem, explicandum est, quales actus sint, per quos Deus prohibet, præcipit &c. Et quidem non est difficultas de operatione, quæ est quintum signum. Constat enim operationem, qua Deus operatur in creaturis, esse actionem exteriorem Dei, qua significat se velle talem operationem. Solum ergo dubitatur, quinam actus sint alia quatuor signa: & quia certum

videtur, quod sunt actus intellectus, vel voluntatis, quæritur, utrum sint actus intellectus, vel voluntatis. Henricus, & alij, quos sequuntur plures nostri recentiores citandi num. 9. existimant esse actus voluntatis. S. Thomas 1.2. quæst. 17. art. 1. in corpore existimat esse actus intellectus, & rationis, ipsæsupposito tamen, actu voluntatis, & hanc sententiam censo probabiliorē, & existimo hos, & alios actus legis esse actus elicitos ab intellectu, sed imperatos à voluntate, ut tribus conclusionibus paulatim explicabitur.

6. Dicendum igitur primò. Præceptum, prohibitio, permissio, consilium, concessio &c. non consistunt formaliter in actu voluntatis, quo Legislator quantum est ex se efficaciter velit, ut subditus faciat rem præceptam, permissam, concessam &c.: immò talis actus non requiritur ad præceptum, consilium, &c.

7. Probatur: nam si præceptum, quo Deus aliquid præcipit, consulit &c. consisteret in efficaci actu voluntatis, quo Deus vellet, ut creatura faceret rem præceptam, consiliatam &c. vel non posset dari sine tali actu voluntatis, implicaret, ut creatura non faceret id, quod Deus præcipit, adeoque implicaret, ut creaturæ peccarent; siquidem implicat, ut creaturæ non faciant id, quod Deus efficaciter vult. Confirmatur: nam superior creatus potest aliquid præcipere subdito, ac simul velle, & desiderare, ut subditus non faciat rem præceptam, ut sic habeat occasionem illum puniendi; ergo neque ad præceptum superioris creati requiritur, ut præcipiens velit efficaciter, aut desideret, ut subditus faciat rem præceptam. Ideo S. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 12. præceptum vocat voluntatem signi, quia licet regulariter sit signum, quod superior velit fieri rem præceptam, tamen non consistit in voluntate, ut fiat res præcepta, neque talem voluntatem includit.

8. Dicendum secundo: præceptum, consilium &c. sunt quidem actus à Legislatore efficaciter voliti, sed saltem virtualiter, & ratione distinguuntur ab actu, quo Legislator vult præcipere, concedere, permittere &c. Probatur prima pars: nam Legislator volens præcipit, concedit &c.; ergo actus concedendi, præcipiendi &c. sunt voliti à Legislatore. Probatur secunda pars; nam si præceptum non distinguatur saltem virtualiter, & ratione ab actu, quo Legislator vult præcipere, Legislator, dum vult præcipere, nihil aliud vellet, quam ipsum suum velle, quod repugnat; siquidem omnis volitio debet esse volitio alicuius obiecti fundamentalis distincti saltem virtualiter, & ratione nostra ab ipsamet volitione. Legislator ergo præcipiens vult quidem præcepto obligare, sed tum præceptum, tum obligatio volita est obiectum saltem virtualiter, & ratione nostra distinctum à voluntate, præcipiendi, & obligandi. Debet igitur explicari, qualisnam sit formalis actus præcipiendi,

di, concedendi &c. utrum sit actus intellectus, vel voluntatis, & circa quod obiectum, & per quem modum tendendi versetur.

9. Cardinalis de Lugo disp. 3. de Incarnatione, num. 86. & sequentibus, Cardinalis Pallavicinus disp. 9. de Actibus humanis, art. 3. n. 8. P. Esparza quæst. 21. de actibus humanis, art. 6. & 7. & alij cum ipsis docent præceptum, concessionem, aliosque actus legis esse formaliter actus voluntatis, non intellectus, sed non conveniunt in explicando, quinam actus sint, & circa quod obiectum versentur. Cardinalis de Lugo docet præcepta naturalia consistere in actibus, quibus Deus, qui est auctor legis naturalis, vult obiecta prohibita præceptis negativis, puta periuria, blasphemias, homicidia &c. esse intrinsecè mala, & vult omissiones obiectorum præceptorum præceptis affirmativis, puta omissionem colendi Deum, honorandi parentes &c. esse intrinsecè malas. Docet insuper præcepta positiva, tum divina, tum humana consistere in velleitatibus, quibus Legislator ex se velleit obiecta prohibita esse ita intrinsecè mala, ac si essent prohibita lege naturali; omissiones actionum præceptorum esse ita intrinsecè malas, ac si essent prohibita lege naturali: ex. gr. præceptum divinum prohibens Iudæis, ne comederent carnes porcinas, erat quædam velleitas, qua Deus volebat, ut comederent carnes porcinas esset intrinsecè malum, & contra temperantiam, proportionaliter, ac est intrinsecè malum comedere carnes humanas. Cum autem subditus teneatur se conformare Legislatori tanquam regulæ, eo ipso subditus obligatur ad non faciendas tales actiones, quia iam sunt redditæ malæ per illam velleitatem Legislatoris: præceptum, quo Deus præcepit Iudæis sanctificationem sabbati, fuit velleitas, qua Deus ex se voluit, ut non sanctificare sabbatum esset intrinsecè malum, & contra religionem.

10. Contra hanc sententiam est primò, quia est impossibile, ut comedere carnes porcinas, non sanctificare sabbatum &c. sit intrinsecè malum; ergo si præceptum non comedendi carnes porcinas &c. consisteret in velleitate, qua Deus volebat tales actiones, & omissiones esse intrinsecè malas, consisteret in velleitate, qua Deus voluisset aliquid impossibile: sed repugnat, ut Deus, cuius voluntas est rectissima, & omnipotens, habeat velleitates, per quas velit, & desideret impossibilia, puta ut essentia rerum aliter se habeant, quam de facto necessario se habent, puta ut homo sit equus; ergo.

11. Secundo contra est, quia Princeps præcipiens subditis ne ferant arma noctu ex. gr. posset dicere: ego volo, ut essentia rerum ita se habeant, ut de facto se habent, adeoque ut deferre arma noctu non sit intrinsecè malum, & tamen volo talem delationem prohibere, ac de facto prohibeo; ergo prohibitio non consistit in illa velleitate, qua Legislator velit, ut obiectum prohibitum sit intrinsecè malum.

12. P. Esparza loco citato docet, præcepta positiva obligantia sub mortali consistere in voluntate, qua Legislator, Deo approbante, vult, ut si quis fecerit aliquas actiones, vel omissiones, excludatur in perpetuum à beatitudine: præcepta obligantia sub veniali consistere in voluntate, qua Legislator, Deo approbante, vult, ut si quis fecerit aliquas actiones, vel omissiones, differatur ei beatitudo.

13. Sed contra: nam Deus præcipiens Iudæis sub mortali, ne comederent carnes porcinas, procul dubio non voluit, ut si illas comederent utcumque, etiam ignorantes præceptum, excluderentur à beatitudine; ergo solum voluit, ut si comederent scientes præceptum, excluderentur à beatitudine: sed præceptum, quo Deus vult, ut si quis comedat cum scientia prohibitionis, excludatur à beatitudine, est præceptum naturale, cum proh beat aliquid intrinsecè malum, si quidem comedere carnes porcinas cum scientia prohibitionis est intrinsecè malum; ergo præceptum illud sic explicatum est naturale, & prohibet actionem, vel omissionem intrinsecè malam, ac proinde non sufficienter explicatur præceptum non naturale, sed purè positivum.

14. Cardinalis Pallavicinus loco citato docet præceptum, quo Deus prohibuit Iudæis ex. gr. ne comederent carnes porcinas, fuisse actum divinæ voluntatis Iudæis intimatum, quo dicebat: nolo concurrere ad ullum actum liberum, quo velitis comedere carnes porcinas, qui non sit intrinsecè malus.

15. Sed contra: nam Deus non habuit voluntatem, qua nollet concurrere ad actus liberos, quibus Iudæi ignorantes præceptum vellet comedere carnes porcinas, qui actus non esset intrinsecè malus; ergo solum noluit concurrere ad actus liberos, quibus advertentes præceptum non comedendi, vellet comedere carnes porcinas, qui actus non esset intrinsecè mali; sed præceptum, quo Deus dicat: nolo concurrere ad actum liberum, quo quis advertens præceptum non comedendi carnes porcinas, velit illas comedere, quin talis actus sit intrinsecè malus, est præceptum naturale, & necessarium; ergo non explicatur, in qua voluntate consistat præceptum purè positivum, & liberum.

16. Reiectis his opinionibus, dicendum tertio: præceptum consistit in actu, quem experimur, & exprimimus per verba modi imperativi, dicentes, fac hoc, nec facias hoc. Talis autem actus est elicited ab intellectu, sed imperatus à voluntate: & proportionaliter concessio, permissio, consilium, petitio, acceptatio &c. sunt actus elicited ab intellectu, sed imperati à voluntate.

17. Explicatur. Cum dicimus Petrus est, vel Petrus non est, obiectum affirmatum, aut negatum est Petrus, ly autem est significat affirmationem intellectualem, seu modum tendendi affirmativum: ly non est significat negationem intellectualem, seu modum tenendi negativum. Et quia idem obiectum potest affirmari, vel

negari, idē obiectum potest terminare modum tendendi affirmatiuum, vel negatiuum, quos modos tendendi experimur. Proportionaliter cum dicimus imperatiuū: *comede carnes porcinas*: ne comedas carnes porcinas, obiectum præceptum, vel prohibitum est comessio carniū porcinarum, ly comede, vel non comede significat modum tendendi præceptiuium, vel prohibitiuium talis comessionis, quos modos tendendi experimur.

18. Iam verba modi grammaticaliter imperatiui possumus proferre in sensu non imperatiui, sed purē petitiui, vel deprecatiui: vt cum dicimus Deo, non imperando, sed purē petendo: *Dimitte nobis debita nostra*; vel purē concessiui, aut permissiui, vt cum Deus Genesios 2. Adā dixi, *De omni ligno paradisi comede*; vel in sensu purē suasiui, aut consiliatiui, vt cum Christus Matth. 13. dixit: *vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*: vel in sensu acceptatiui, vt cum Lucæ 1. Beata Virgo acceptans maternitatem oblatam illi ab Angelo, dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: & tunc significant modos illos tendendi, quos experimur, quorum obiectum est res petita, concessa, permissa, suasa, acceptata, &c. proportionaliter, ac obiectum affirmationis, & negationis est id, quod affirmatur, aut negatur.

19. Præmissa hac explicatione, probatur prima pars conclusionis, quod nimirum præceptum, concessio, permissio, consilium, petitiui, acceptatio &c. sint actus elicitus non à voluntate, sed ab intellectu. Nam omnis interna locutio, qua alloquimur nos ipsos, vel alios, est actus elicitus ab intellectu, non autem à voluntate; sed actus, quibus in sensu imperatiui, deprecatiui &c. dicimus *fac hoc*, *ne facias hoc*, sunt quædam internæ locutiones, quibus alloquimur nos ipsos, vel alios; ergo &c. Confirmatur: nam actus, quo tendimus in obiectum, illud dicendo, non autem volendo, est actus elicitus intellectus, non autem voluntatis; siquidem *dicere* spectat ad intellectum; sed actus, quibus dicimus, *fac hoc*, *ne facias hoc* &c. tendunt in obiectum, dicendo, alteri, vt faciat, vel non faciat, non autem volendo, vt faciat, vel non faciat, vt dictum est numero 6. ergo &c.

2. Probatur secundo auctoritate: nam Aristoteles 1. Periherm. cap. 4. diuidit orationem in enunciativam, quam tribuit philosopho, & optatiuam, quam tribuit Rhetori, aut poetæ. S. autem Thomas in commentario eius loci, orationes optatiuas subdiuidit in deprecatiuas, vocatiuas, interrogatiuas, & imperatiuas; sed orationes enunciativæ internæ consistunt in actibus elicitis intellectus, non autem voluntatis; ergo etiam deprecatiua, interrogatiua, vocatiua, & imperatiua; vt de imperatiuis expressè docet S. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 1. asserens imperium esse actum intellectus, non autem voluntatis.

21. Dices: vocare nihil aliud est, quam per voces significare desiderium attentionis: interrogare nihil aliud est, quam significare desiderium responsionis: petere, & deprecari nihil aliud est, quam significare desiderium alius cuius, quod & detur, habebimus loco beneficii: sed desiderium est actus elicitus voluntatis, non autem intellectus; ergo &c.

22. Respondeo, nego maiorem, & positiuè ostendo, quod aliud est per locutionem externam, vel internam significare se habere desiderium alterius rei, aliud est illam rem petere. Potest enim aliquis alteri dicere: *ego quidem desidero, vt tu facias hoc*, sed non audeo id à te petere: sed hic significabit se illud desiderare, & tamen non petere: ergo aliud est significare se desiderare aliquid, aliud est illud petere. Similiter potest aliquis dicere: *ego desidero, vt tu manifestes mihi hoc secretum*, sed non audeo te de illo interrogare; ergo aliud est significare desiderium sciendi aliquid ab alio, aliud est interrogare. Confirmatur, nam possumus Deo dicere: *tu scis, quod ego hoc desidero*, & tamen illud nō petere.

23. Probatur iam secunda pars conclusionis, quod nimirum præceptum, consilium &c. sunt actus imperatiui à voluntate. Nam nemo aliquid præcipit, suadet, petit, interrogat &c. nisi volens præcipere, suadere &c; ergo actus præcipiendi &c. semper imperantur à voluntate, & intellectus, dum voluntas tales actus imperat, statim illos facit; ideoque voluntas quoad tales actus imperat intellectui imperio despotico, sicut imperat manui, vel pedi motum.

24. Inferitur primo, in quo sensu, dum facimus ea, quæ Deus præcipit, vel consulit, dicamus, facere Dei voluntatem iuxta illud 2. Machabæorum cap. 1. *Dei vobis Deus, vt faciatis eius voluntatem*. Dicendum, quod dicimus facere voluntatem Dei, non quia præceptum, vel consilium sit actus elicitus voluntatis, sed quia est actus imperatus à voluntate, ac proinde dum facimus quæ Deus præcipit, aut consulit, facimus ea, ad quæ Deus per præcepta vult nos obligare, per consilia vult nos impellere. Simili modo explicandi sunt Augustinus lib. 4. de Cinit. Dei dicens: *arbitria Principum antiquitus pro legibus fuisse*: Vlpianus lege 1. digestis de constitutionibus dicens: *quod principi placuit, legis habet vigorem*, & auctor Rhetoricæ ad Alexandrum, quæ tribuitur Aristoteli, dicens: *lex est communis ciuitatis consensus, qui scriptis præceperit quomodo, unumquodque agendum sit*. Non enim significatur, legem esse ipsum actum arbitrandi, ipsum actum, quo principi placuit legem ferre, ipsum consensum ciuitatis de lege ferenda, sed solum significatur legem consistere in præceptis, communibus, & perpetuis, quæ Principes arbitrantur esse faciendæ, quæ placuit ferre, & quæ communi consensu ciuitas tulerit.

25. Inferitur secundo, quo pacto leges, & præcepta spectent ad diuersas virtutes. Dicendum, quod

dum vniuersumque præceptum spectare ad illam virtutem, ad cuius finem, & honestatem à Legislatore, vel superiore imponitur: ex.gr. quia præceptum audiendi sacrum die festo imponitur ad promouendum cultum Dei, qui est finis Religionis, præceptum de audiendo sacro spectat ad Religionem, & qui non audit sacrum die festo, peccat contra Religionem. Quia præceptum ieiunii quadragesimalis imponitur ad promouendum finem temperantiæ, spectat ad temperantiam. Quia verò finis formaliter intenditur, non per actum intellectus, sed voluntatis, ideo non intenditur formaliter per ipsum præceptum, quod est actus intellectus, sed per actum voluntatis, quo imperatur præceptum.

26. Inferitur tertio, quod quia in creaturis actus intellectus distinguitur realiter ab actu voluntatis, in Deo distinguitur solum ratione, vt dictum est in quæst. 47. ideo in creaturis præceptum, consilium &c. distinguuntur realiter à voluntate præcipiendi, consulendi &c. in Deo distinguuntur solum ratione.

27. Inferitur quarto, quodnam sit præceptum graue, seu obligans sub mortali, quod sit præceptum leue, seu obligans solum sub veniali. Dicendum præceptum obligans sub mortali esse, quo Legislator dicit: *fac hoc; vel ne facias hoc; ne priueris in perpetuum ultimo fine, nisi excuseris propter ignorantiam, vel inaduertentiam huius præcepti*: præceptum obligans solum sub veniali dicit: *fac hoc; vel ne facias hoc; ne incurras in dilationem ultimi finis, nisi excuseris ignorantia, vel inaduertentia*. Præcepta igitur sunt actus intellectus, per quos Legislator ita tendit in rem præceptam, vel prohibitam, illam præcipiendo, vel prohibendo, vt tendat etiam in priuationem perpetuam, vel dilationem ultimi finis, illam comminando. Sicut autem intellectus habet modum tendendi præceptiuum, quem experimur, ita habet modum tendendi comminatum, quem pariter experimur, & exprimimus per verba: *ne incurras hoc malum; sub pena incurrendi hoc malum*.

28. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem; lex debet esse actus elicitus potentie, quæ est domina, & princeps, nego: debet esse actus imperatus, concedo. Lex est actus vtriusque potentie: siquidem ita est actus elicitus ab intellectu, vt sit actus essentialiter imperatus à voluntate, ideoque aliquando dicitur actus intellectus, aliquando actus voluntatis.

29. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: actus dicens, *fac hoc; ne facias hoc*, habet pro motiuo intrinseco bonitatem; aut malitiam sub ratione formali appetibilis, aut fugibilis, nego: sub ratione formali imperabilis, aut prohibibilis, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Bonum, & malum; verum, & falsum sunt obiectum motiuum, tum intellectus, tum voluntatis, sed sub diuersa ratione formali. Verum enim sub ratione formali veri est obiectum

intellectus, sub ratione formali boni est obiectum voluntatis. Bonum sub ratione formali boni est obiectum voluntatis, sub ratione formali veri est obiectum intellectus. Et quia omne bonum, est quoddam verum, & omne verum est quoddam bonum, ideo omne verum, & omne bonum sub diuersis rationibus potest esse obiectum formale, tum intellectus, tum voluntatis. Si autem quæretur, quid sit, quod obiectum moueat sub ratione veri, vel sub ratione boni, dicendum, quod obiectum per hoc, quod moueat ad affirmandum, vel negandum dicitur mouere sub ratione veri, aut falsi, quia mouet per affirmabilitatem, vel negabilitatem; in quibus consistit ratio formalis veri, aut falsi; per hoc autem, quod obiectum moueat ad volendum, vel nolendum, dicitur mouere sub ratione boni, vel mali, quia mouet per appetibilitatem, vel fugibilitatem, in quibus consistit ratio formalis boni, aut mali. In casu nostro dum dicimus: *fac hoc; ne facias hoc*, mouemur ad præcipiendum à bonitate actionis præceptæ, non secundum rationem formalem boni, quæ ratio est appetibilitas, sed secundum præceptibilitatem, quæ est ratio motiua ad imperandum, non ad appetendum: & dum dicimus: *ne facias hoc*, mouemur ad prohibendum à malitia actionis prohibitiæ, non secundum rationem formalem mali, seu fugibilis, sed secundum rationem formalem prohibibilis, quæ est ratio mouens ad prohibendum. Addo, quod intellectus ad dicendum, *fac hoc; ne facias hoc*, mouetur extrinsecè ratione actus imperantis à bonitate, & malitia actionis præceptæ, & prohibitiæ; siquidem actus voluntatis, quo volumus præcipere, vel prohibere, habet pro motiuo ipsam bonitatem actionis præceptæ, vel prohibitiæ. Hinc sequitur præceptum, quo dicatur: *comede carnes porcinas*, & prohibitionem, qua dicatur: *ne comedas carnes porcinas*, differre ex obiecto, & ratione formali. Nam actus dicens, *comede*, mouetur à bonitate comestionis sub ratione formali præceptibilis, hoc est per præceptibilitatem: actus dicens, *ne comedas*, mouetur à malitia comestionis sub ratione formali prohibibilis, hoc est per prohibibilitatem, proportionaliter ac actus, quo quis dicit: *volo comedere*, differt ex obiecto, & ratione formali ab actu, quo dicit: *nolo comedere*, quia primus mouetur à bonitate comestionis sub ratione formali appetibilis, & volibilis; secundus mouetur à malitia comestionis sub ratione formali fugibilis, & nolibilis.

30. Ad 3. nego maiorem. Nam ipsi grammatici præter modos indicatiuos, qui explicantur per *est*, *non est*, ponunt modos imperatiuos, concessiuos &c. qui non possunt explicari per *est*, *non est*. Confirmatur: nam intellectus idem obiectum potest cognoscere in recto, vel in obliquo, & in varijs casibus obliquis: potest etiam cognoscere obiectum vt purā conditionem, vt cum dicit, *si plueret &c.* sed tunc obiectum cognoscimus diuersis modis tendendi, qui nō possunt explicari per *est*, *non est*; ergo &c.

31. Ad 4. nego minorem, ac dico præceptum, concessionem &c. sub ratione præcepti, concessionis &c. esse simplices apprehensiones. Ratio est, quia omnis oratio, & locutio interna, in qua non est verum, neque falsum, iuxta doctrinam Aristotelis, & communem, est simplex apprehensio: sed ex eodem Aristotele 1. Perher. cap. 4. verum, ac falsum datur in solis orationibus, & locutionibus enunciatiuis, non autem in optatiuis, imperatiuis &c. ergo internæ locutiones optatiuæ, imperatiuæ, concessiuæ &c. reducuntur ad simplices apprehensiones. Dixi præceptum sub ratione præcepti esse simplicem apprehensionem, quia si præceptum, quo dicitur *fac hoc*, habet etiam identificatam affirmationem, vel negationem alicuius obiecti, sub ratione affirmationis, ac negationis est iudicium, non autem simplex apprehensio: proportionaliter, ac affirmatio, qua dico *Filius Petri est mortuus*, licet in quantum affirmat filium Petri esse mortuum, sit iudicium, tamen in quantum cognoscit in obliquo Petrum, illum neque affirmando, neque negando, est simplex apprehensio.

QVÆSTIO LXI.

Virum Deus amet se ipsum, & omnes creaturas, non solum existentes, sed etiam possibiles, & meliora magis amet?

S. Th. q. 20. art. 1. 2. 3. & 4.

1. **P**rimò videtur in Deo non dari amor propriè, sed solum metaphoricè. Amor enim est passio; sed passionem, puta ira, tristitia &c. non dantur propriè in Deo, sed solum metaphoricè; ergo.

2. Secundò videtur Deus amare solum se ipsum, non autem creaturas. Vt enim docet Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus, amor, quo quis amat alterum à se, amantem ponit extra se; sed est indignum Deo, vt se ponat extra se; ergo.

3. Tertiò videtur Deus non amare omnia existentia. Vt enim dicitur Psal. 5. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*; sed Deus non potest eosdem simul amare, & odio habere; ergo.

4. Quartò videtur Deus non amare possibilia. Amare enim est velle aliquod bonum; sed possibilibus Deus non vult aliquod bonum; ergo &c.

5. Quintò videtur Deus meliora non magis amare. Potest enim æqualia inæqualiter amare; ergo potest etiam meliora non magis amare. Probatur antecedens: nam beati, qui habent æqualem gratiam, & gloriam, sunt æquales, & tamen vnus potest magis diligere à Deo, quam alius; nam si vni dederit hæc auxilia efficacia, paratus dare alia auxilia efficacia, si vidisset hæc fore inefficacia, alteri autem dederit hæc auxilia efficacia, paratus non dare

alia, si vidisset hæc fore efficacia, illum magis amasset, quam hunc, & quamuis dedisset illis æquale bonum, dedisset inæquali amore.

6. Respondeo, quod quia cum S. Thomæ quæst. 19. egimus de voluntate Dei, sequitur, vt cum eodem quæst. 20. agamus de præcipuo actu voluntatis, qui est amor.

7. Dicendum igitur primo: Deus amat se ipsum necessariò, & efficaciter amore infinito, tum ex parte amoris, tum ex parte boni voliti.

8. Probatur: nam amare est velle bonum, amare autem efficaciter est velle bonum voluntate, quæ sit efficax ratio, vt amatum habeat bonum volitum; sed vt dictum est quæst. 49. Deus necessariò vult sibi existentiam, & omne bonum voluntate, quæ cum sit idem, cum diuina essentia, est adæquata ratio, vt Deus habeat existentiam, & omne bonum; ergo &c. Rursus amare amore infinito ex parte amoris, est amare amore, qui sit infinitè perfectus in genere amoris: amare infinitè ex parte boni voliti, est amare amore, qui infinita efficacia velit amato infinitum bonum; sed amor, quo Deus amat seipsum, est infinitè perfectus in genere amoris, ac Deo vult infinitum bonum infinita efficacia; ergo &c.

9. Dicendum secundò: amor, quo Deus efficaciter vult sibi omne bonum, non est amor desiderij, sed est simul amor strictus, & perfectissimum gaudium, quo gaudet de hoc ipso, quod habeat omne, & infinitum bonum.

10. Probatur: nam amor desiderij est, quo amans tendit in bonum ex cognitione, qua cognoscit amatum carere tali bono: gaudium est, quo amans tendit in bonum ex cognitione, qua cognoscit amatum habere tale bonum: amor strictus est, quo amans vult amato bonum absolute, neque supponendo, quod illud habeat, neque supponendo, quod careat bono volito; sed amor, quo Deus vult sibi omne bonum, est idem cum Deo, adeoque neque supponit Deum habere omne bonum, cum non supponat seipsum, neque supponit Deum carere omni bono, cum non supponat carentiam sui ipsius; ergo est amor strictus, ac non est desiderium; sed est ex cognitione, qua Deus cognoscit se habere omne bonum, siquidem est ex diuina essentia, quæ est idem tum tali cognitione; ergo est simul perfectissimum gaudium, quo Deus gaudet de hoc, quod habet omne bonum.

11. Dicendum tertiò: Deus creaturas existentes amat liberè, & efficaciter amore infinito ex parte amoris, sed finito ex parte boni voliti, ideoque amat omnia existentia æqualiter ex parte amoris, inæqualiter ex parte boni voliti, ita vt meliora magis amet, & vnumquodq; tantum amet, quantum est bonum, quod habet.

12. Conclusio est S. Thomæ hic quæst. 20. art. 2. 3. & 4. Probatur: nam amare est velle bonum; sed existere est bonum, & Deus omnibus creaturis existentibus liberè, & efficaciter vult existentiam; ergo Deus liberè, & efficaciter